

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
 DE
PRAEIVDICIO IVDAEORVM,
 Q V O
NEQVE EX GALILAEA IN VNIVERSVM,
 N E Q V E
 EX NAZARETHA INPRIMIS, PROPHETAM PRODIRE POSSE,
 ADSERERVNT,
 AD IOH. I, 47. VII, 52.

Q V A M
 SVB SVMMI NVMINIS AVSPICIIS
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
 CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
 PRAESIDE
 VIRO EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO
IOHANNE FRIDERICO STIEBRITZ,
 PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICAE ET CAMERALIYM
 PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,
 ALVMNORVM REGIORVM EPHORO,
 ACADEMIAE SCIENTIARVM MGVNTINAE SODALI,
 ET FACVLTATIS PHILOSOPHICAE DECANO,
 P R A E C E P T O R E A T Q V E P A T R O N O
 AETERNVM COLENDO
 PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
 ET PRIVILEGIIS
 SOLEMNI RITV ACCEPTANDIS
 DIE IVLII A. O. R. MDCCLXI.
 HORIS LOCOQVE CONSVETIS
 PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET
 A V C T O R
CHRISTIANVS GOTTLIEB STEINBERG
 VRATISLAVIA - SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
 TYPIS IOHANNIS FRIDERICI GRVNERTI

DISSERTATIO QUAE DAMENIS ET PROLOGICA

DE
PRACTICIS IVRIBUS

MADE EX GALLIA IN UNIVERSVM

ET MENTIS ENIMMO PROLOGICA PROLOGICA

PROLOGICA PROLOGICA

PROLOGICA PROLOGICA

IOHANNES HERRICO STRIBITZ

PROLOGICA PROLOGICA

PROLOGICA PROLOGICA

PROLOGICA PROLOGICA

CHRISTIANVS GOTTLIEB STIERBERG

PROLOGICA PROLOGICA



ILLVSTRI ET MAGNIFICO
REGIAE METROPOLIS ET SEDIS
CIVITATIS WRATISLAVIENSIS
S E N A T V I
PATRIAE PATRIBVS
PATRONIS ET FAVORIBVS
FAVENTISSIMIS ET BENIGNISSIMIS
SVBMISSA ANIMI OBSERVANTIA PIETATISQVE CVLTV
AD CINERES VSQVE DEVENERANDIS, COLENDIS

D. D. D.

U. L. V. T. R. I. ET MAGNIFICI
R. H. A. E. M. E. T. R. O. P. O. L. I. T. I. C. I.
C. I. V. I. T. A. T. I. S. W. R. A. T. I. S. L. A. V. I. E. N. S. I. S.
I. V. T. V. A. T. I. S.
P. A. T. R. I. A. E. P. A. T. R. I. B. V. S.
P. A. T. R. O. N. I. S. ET P. A. T. R. O. R. I. B. V. S.
P. A. T. R. I. S. S. I. M. I. S. ET B. E. N. I. G. N. I. S. S. I. M. I. S.
S. T. I. M. U. S. A. N. N. I. S. O. R. D. I. N. A. T. I. O. N. I. S. P. E. T. I. T. O. N. I. S. C. A. S. T. R. I.
I. N. D. I. C. I. S. T. I. B. U. S. O. R. D. I. N. A. T. I. O. N. I. S. C. A. S. T. R. I.

1717



Diuino subleuatus auxilio, hanc
Almam Fridericianam dere-
linquere iam apud me consti-
tui, in qua plura fundamentis istis, quae in
Gymnasio patrio Maria-Magdaleneo ieci,
superaedificare studui, quae ad finem propo-
situm facere videbantur. Fuerunt quidem co-
natus mei aliquoties partim morborum cala-
mitatibus, partim bellicis tumultibus inter-
rupti; interim tamen, quantum vires meae
concesserunt, reliquum temporis spatium stu-
diis, et Philosophicis, et Philologicis et
Theologicis, sacrum esse iussi. Ad studia ve-
ro haecce mea eo feliciter absoluenda, VOS,

*PATRIAE PATRES, maximam contulisse partem, quum beneficia multa atque praeclara mihi exhibuistis, publice nunc, submissaque mente praedicare debeo. Quaecum ita sint, illud imprimis mihi agendum esse arbitror, ut gratissimum deuotissimumque VOBIS animum sollemni quadam ratione declarem, Deum immortalem pro VESTRA salute humillime implorem, et qualemcumque hanc Dissertatiunculam inaugura-
lem NOMINIBVS VESTRIS MAGNIFICIS ea, qua par est, obseruantia inscribam. Nemini sane obscurum esse potest, VOS, PATRES CONSCRIPTI, esse VIROS, de Republica ciuili, Ecclesiastica non minus, ac litteraria, longe meritis-
simos: VO Sque eos singulari fauore complecti, qui pro virili in id incumbunt, ut tum in litteris progressus faciant, tum vero etiam progressuum factorum publica edant testimonia. Quam animorum VESTRO-
RVM generosam indolem sicuti ego admi-
ror et veneror; ita nullus plane dubito, quin
hocce*

hocce primum studiorum meorum specimen
benignissime excepturi sitis. Iterum iterum-
que igitur VOS oro et obsecro, accipiatis
has meas primitias, tamquam deuinctissimae
mentis documentum, fronte gratiosa; et, si
vel maxime nihil, quod exasciatum sit, ocu-
lis VESTRIS subiicere valeam, bonam
tamen meam voluntatem, pro beneuolentia
VESTR A, optimam in partem inter-
pretemini. Quodsi vero me praeterea
fauoris VESTRI consueti, et gra-
tiae in posterum quoque participem reddere
benignissime velitis; quod maxime opto, haud
dubie spero, submissè vero enixissimeque oro
rogoque: tum me felicem et fortunatum esse
existimabo. Summum autem, quod vene-
ror, Numen supplex imploro, vt Consilia
VESTR A prosperrima saluberrimaeque es-
se iubeat; Calamitates, quae bello trucu-
lento huc illucque disperguntur, vt VE-
STR A cingant moenia, non sinat; VOS
vero, cum ILLVSTRISSIMIS SPLEN-
DIDISSIMISQVE FAMILIIS VE-
STRIS

STRIS omnipotente manu sua protegat,
omniumque malorum, quale habeant nomen,
VOS reddat expertes; et Prouidentia sua
semper et ubique *VOBIS* inuigilet, ne *VO-*
BIS umquam funesta obtingant. Quibus
votis si Deus clementissime annuerit, num-
quam mihi deerit occasio, publice priuatim-
que significandi, quod sim

T A N T O R V M
T A M Q V E
I L L V S T R I V M
S P L E N D I D I S S I M O R V M
E T
E X C E L L E N T I S S I M O R V M
N O M I N V M

humillimus atque obstrictissimus cultor
Christianus Gottlieb Steinberg.



SECTION I
QVA DE
PRAEIVDICIIS IVDAEORVM
GENERATIM AGITVR.



§. I.

Quotiescumque ego res gestas Christi, prou-
ti ab Euangelistis atque apostolis confi-
gnatae sunt, mente mea volui, toties fa-
tis admirari non potui, qui factum sit,
vt Iudaei fere omnes, qui in ipsius aeta-
tem inciderant, animum gesferint, ab eo plane alienum.
Qui fieri potuit, sic ex me seiscitari solitus sum, vt is po-
pulus, cui Messias inprimis promissus fuit, atque is popu-
lus, qui Messiae aduentum omnibus votis ex petiit, nihilo
tamen minus Iesum, verum Messiam, respuerit, pessime-
que habuerit, cum praesentem se ipsis stitisset? Atque hic
quidem serupulus eo magis animum meum tenuit, quo
magis

*Iudaei praeci-
ditiis fascinati
Iesum pro
Messia agno-
scere notue-
runt.*

A

magis patet, vsum esse, quem veneramur, Mesiam *primo* doctrina prorsus egregia, atque prophetarum scriptis maxime consona, quae sui cultores non potest non felices fortunatosque reddere; confirmasse porro eum hanc suam doctrinam tot tantisque miraculis, quot et quantis nemo unquam ante ipsum inclaruerat; *deinde* exornasse eandem vita adeo innocenter gesta, vt nec acerrimus quisque morum censor aliquid vitii in ea ostendere potuerit; et ostendisse *denique* in se omnia et singula criteria, quibus Mesiam conspicuum futurum esse scriptores librorum V. T. iam dudum, a significauerant. Iam quidem bene scio, fore plures, qui, serupulum hunc ex animo euulsuri, ad *malitiam Iudaeorum* rem omnem redire arbitrabuntur, quae obstitisset, quo minus veritatem admiserint, vel admittere potuerint. Neque ego ipse dubito, quin plurimi inter ipsos, inprimis inter proceres, extiterint, qui propter mentem, in malo prorsus obfirmatam, ab omni veritatis sensu remoti fuerunt. Interim tamen non existimem, sola malitiae Iudaicae commemoratione totum hoc negotium confici posse: partim quia neque de omnibus in vniuersum adferi potest, eos eo vsque in malitia progressos esse, vt plane inhabiles facti fuerint ad veritatem et audiendam, et diiudicandam, et admittendam, ad sensuque humano amplectendam; partim vero, quia, cum nemo gratis peccasse vult videri, noua quaestio expedienda veniret; vnde nam hoc ipsum repetendum sit, quod eo processerint malitiae, vt, quidquid Iesus ad eorum incredulitatem expugnandam fecit, nihil tamen quidquam in iis efficere valuerit? Quemadmodum igitur iam res ipsa loquitur, rem vltimato redire ad facultatem cognoscitiuam eorum, statuendumque esse, eos sibi quosdam praetextus elaborasse, quibus nixi, mentem suam aduersus Christum ita obfirmarunt, vt vltiori examine indigna censuerint omnia, quae is velloqueretur, vel ageret, pro sua diuina legatione

ne

ne adstruenda: ita ex diligenti lectione euangelistarum, atque imprimis ex Iohannis euangelio, a posteriori, vti loqui amant in scholis, claret, vsos reuera haud raro esse Iudaeos pluribus iudiciis, quibus vno veluti istu prostrernere se posse confidebant omne id, quod ad causam Christi pertinere videbatur. Cum illa iudicia propositiones erroneae sint, temere conceptae, aliorum errorum causae; quas philosophi *praeiudicia* in sensu strictissimo vocare consueverunt: itaque recte adferimus, fouisse Iudaeos aetate Iesu plura praeciudicia, quae potissimum in causa fuerunt, quod ipsum pro vero Messia agnoscere noluerint. Quicumque per experientiam saltim didicit, quantam vim praeciudicia aduersus veritatem, vt vt firmissimis argumentis innitatur, habeant; praecipue si vel cum insigni voluntatis malicia, vel cum stupiditate quadam intellectus, coniuncta sint; vti in Iudaeis plerumque fuerunt: ille nunc demum mirari desinet, cur maxima Iudaeorum pars veritati locum non fecerit. Habentur enim eiusmodi praeciudicia pro principiis, extra omnem dubitationem positis, ita vt ea tantum adsumantur, quae cum ipsis conspirant, omnia vero alia, quae cum iis non consentiunt, sine vltiori examine explodantur; vnde non inepte ea *idola mentis*, quae scilicet homines simplici fide et veneratione prosequi solent, vocauit *Verulamius*.

Schol. Haud obscure erit iis, qui controuersias, quas cum Pontificiis agitamus, perceperunt, hos *methodum* inuenisse, contra protestantes disputandi per *argumenta quaedam generalia*, quae *praeiudicia* (preiugés) adpellare consueuerunt. Dici vix potest, quanto pere sibi de hac methodo gratulentur, rati, ea duce, nullo fere labore, ita vt vix opus sit, cur ad specialiora descendatur, omne negotium, quod ipsis cum aduersa parte intercedit, expediri posse. Videor mihi hic videre, quod Iudaei, quae aetatem Iesu attigerunt, pontificiis praeluserint. Constat enim ex historia euangelica, eos,

sicubi cum Christo congressi sunt, quamvis validissimis argumentis vrgerentur, nihil fere, quod ad rem faciebat, respondisse; sed nonnisi generalibus argumentis, quae infallibilia principia esse putabant, contra ipsum dimicasse; quasi iam supersedere possent omni penitioris inquisitione, quia inter res Iesu atque inter generaliora ipsorum de Messia principia seu praeiudicia (*preiugès*) non daretur consensus. Quae cum ita sint, quamvis voci *praeiudicii* in textu significatum *philosophicum* impertierim: non tamen respuo hic significatum *theologicum*; possunt enim ambo significatus probe sibi inuicem subordinari.

§. II.

Præcipui horum praeiudiciorum fontes indicantur.

Si quis, ut par est, sciscitatus fuerit, vndenam Iudaei sua praeiudicia aduersus Christum hauserint: tum allegari eorum possunt et *fontes generaliores*, et *specialiores*. Quod ad illos attinet, in confesso est, quaedam praeiudicia 1) manasse ex quibusdam oraculis V. T. male intellectis, ec. de *regno Christi*; de eo, quod *nesciri debeat*, vndenam *venturus sit Messias*; item, quod *Messias perennaturus*, adeoque *non moriturus sit* etc. Alia 2) ortum sumserunt ex conditione, in qua tum temporis Iudaei erant. Cum enim e. e illa aetate sub iugo Romanorum, quod libertati et honori suo perquam inimicum esse statuebant, ingemiscerent: hinc eo magis in eam sententiam ingressi sunt, quod Messias, qui ipsos conueniret, ab illo iugo ipsos liberare, et Rex mundanus esse debeat. Alia denique 3) prodire praeiudicia ex traditionibus, quas, a maioribus acceptas, non solum scripturis sanctis equiparabant, sed etiam multum anteferebant. Si igitur Iesus a) ex obscura galilaea prodierat, et se breui tempore moriturum, b) regnum vero ab indole huius seculi alienum erecturum esse significauerat; atque e modo quaedam docebat, modo faciebat, quae traditionibus contraria esse videbantur: tum tantum aberat, ut ipsum tamquam Messiam amplecterentur, ut potius eum propter

DE PRAEIVDICIO IVDAEORVM IN GENERE. 7

propter praeiudicia, ex his tribus fontibus enata, *impossi-*
rem, insanientem, et *samaritam* i. e. haereticum, esse pro-
nuntiarent. Cumque praeterea defenderent, *signa contra*
receptam doctrinam nihil valere: hinc miracula ipsius vel in
vniuersum existisse negabant, vel in numerum illusionum
diabolarum referebant: indeque est, quod ipsi, cum dia-
bolo intimiorem amicitiam intercedere, saepius crimina-
rentur. Quemadmodum ex his fontibus disputaturi erant
contra quemcumque, qui se Mesiam esse profesurus fuis-
set; nisi his praeconceptionibus respondisset: ita
deriuabant quoque ex quibusdam fontibus specialioribus
plura praeiudicia, quibus imprimis Iesu Nazareno obuiam
iri posse existimabant. Huc iure refertur, 1) quod nimis
abiecte de tenuioris fortunae hominibus senserint, dum e
contrario diuitias, potentiam, et eius generis alia, pro
peculiaris fauoris diuini indicium venditabant. Inde orrum
traxit illa propositio, quam canonis infallibilis ad instar
allegare solent, quod *spiritus propheticus non super homine pau-*
pere, sed tantum super homine diuite et potente habitat. Cum
igitur ipsis constaret, Iesum a tenuissimis parentibus natum
et educatum esse, eum infimae sortis cognatis vni, et cum
durissima paupertate conflitari: hinc mirum non est, quod
sibi persuaderi non passi sint, ipsum verum Mesiam esse.
Aperta habentur huius praeiudicii testimonia Matth. 13,
54-57. Marci 6, 1-4. et Ioh. 7, 15. vnde ab ulteriori
probatione abstinemus. Praeterea 2) plura profluxerunt
praeiudicia ex falsissimis quibusdam opinionibus, quas de
conditione Iesu conceperant. Pertinet huc, quod eum in Ga-
lilaea, imprimis Nazarethae, in lucem editum esse, som-
niarent. Cum itaque, Mesiam Bethlehemi nascendum esse,
recte defenderent; fati causae adesce credebant, cur Ie-
sum reiicerent.

*Instituti ratio
exponitur.*

§. III.

Non inutilem laborem susceptorus essem, si praeiudicia cuncta Iudaeorum, aduersus Iesum concepta, iam rigorosiori examini subiicerem. Non dubito enim, quin ex vna parte inutilitas disputationum Iudaicarum contra Christum, et quam inanes sint eorum praetextus, qui obstiterunt, quo minus eum admiserint, atque ex altera parte bonitas causae Iesu, in omnium oculos incurrere queant. Interim temporis ratio iam quidem non patitur, vt me in tam operosam tractationem immitterem. Constitui itaque potius apud me circa vnicum, et quidem illud praeiudicium in praesenti versari, quo existimant, *Iesum esse nariuitate Galilaeum, imprimis vero Nazarethanum; ex Galilaea autem omni, et praecipue ex Nazarethā, nihil boni, nullum prophetam, multo minus vero Messiam, prodire posse; adeoque Iesum verum Messiam non esse.* Mentionem huius praeiudicii factam legis Ioh. 1, 46. et cap. 7, 52. de quo in sequentibus paulo fusius agemus.

S E C T I O II.

QVA DE

PRAEIVDICIO ILLO IVDAEORVM,
QVO IESVM
REIICIENDVM ESSE PVTABANT,
QVIA GALILAEVS,

ET IMPRIMIS

NAZARETHANVS ESSET,
IN SPECIE AGITVR.

§. IV.

*Descriptio Ga-
lilaeae.*

Cum in eo sim, vt in praeiudicium aliquod inquiram, quod a Galilaea et Nazarethā desumtum est: iuuat, paucissimis vtriusque descriptionem, quae sequentibus illustran-

DE PRAEIVDICIO IVDAEORVM IN SPECIE. 7

lustrandis quodammodo inferuit, dare. Et *Galilaea* quidem fuit septentrionalis Palaestinae pars, ab extremo syrorum limite inter Iordanem et mediterraneum mare ultra lacum Genesaret producta; quae a *Iosepho in superiorem et inferiorem* diuiditur. *Inferior* nobilior et frequentior fuit, quam superior, ideoque *Galilaea* simpliciter vocatur; *superiori* autem plerumque *Galilaeae gentium* nomen imponitur, quia inter Iudaeos plures ex gentibus habitauerunt. Regionis conditionem physicam valde extollit *Iosephus*, atque a fertilitate mirum in modum commendat; quemadmodum eam quoque populosissimam, pluribus hinc urbibus et vicis refertam, incolas vero viros fortissimos et pugnantissimos fuisse adserit. ¹⁾

§. V.

In *Galilaeae* inferioris australi limite, iuxta montem *Nazarethae* Nazarethae descriptio. Thabor, situm fuit oppidum, *Nazarethae*, siue *Nazara*. De quo *HIERONYMVS* ait: *est autem usque hodie in Galilaea viculus contra legionem in quinto decimo eius milliario ad orientalem plagam, juxta montem Thabor, nomine Nazara.* Cum vero in V. T. libris nulla eius iniecta sit mentio: sequi videtur, illud post solutam captiuitatem demum conditum fuisse. Interim propterea, quod *Iesus* ibidem usque ad muneris sui auspicia vixit, atque ab illo cognomen *Nazarenus* traxit; contigit, vt ab eo tempore tum inter Iudaeos, tum inter Ethnicos. tum inter Christianos magnam celebritatem consecutum sit. Aedificata fuit haec vrbs super rupem; vti vel ex *Luc. 4, 29* discitur; ad quam si pedentem ascendere aliquis voluerit, integrae horae spatium et

1) Plura qui de *Galilaea* nosse cupit, consulat *RELANDVM* in *Palaestina* l. I. c. XXVI. p. 127 sq. et alibi; *CELLARIVM* in *geographia antiqua* T. II. L. III. c. XIII. S. IV. p. 399 sqq. *LIGTEFOOTVM* in *horis ebr.* passim; nec non *VITRINGA* ad *Ios. VIII, 23. c. IX, 6*

et dimidium insumere debet. Complectitur Nazaretham plura aedificia splendidissima, quae magnam partem etiam superstitioni debentur. Videri potest de iis REL AN-
DVS l. c. 2)

§. VI.

*Indagamur
causae, cur
Galilaei ab
aliis Iudaeis
fuerint con-
temni habiti.
Exponitur
PRIMA.*

Vniuersos Galilaeae incolas, inprimis vero illos, qui Nazaretham inhabitauerunt, a Iudaeis omnibus, maxime vero ab Hierosolymitanis, contemptim habitos fuisse, tum ex historia euangelica, tum vero ex monumentis Rabbiniis constat. Sed quibusnam de causis contribulium suorum odia et contemptum meruerint, iure quaeritur. Si igitur, qui supersunt, fontes, consuluerimus: haud difficile fuerit plura eruere, quae ad quaestionem hanc expediendam facere queunt. Et primo quidem eos contemptu dignos censuisse videntur, quod inprimis in Galilaea superiore variis cum gentibus commixti fuerunt. Praeterquam enim quod regio ista iam antiquitus a variis et mixtis gentibus, quae eam habitabant, cognomen *Galilaeae gentium* adeptae Genes. 14, 1. Ios. 12, 23. iisque, postquam eius incolas Tiglatpilleser abduxerat, magis etiam repleta fuerit; de temporibus posterioribus STRABONEM quoque excitare possum testem, qui, postquam dixerat ³⁾, Palaestinae multa loca a multis gentibus habitari, Aegyptiis, Arabibus et Phoenicibus; subdit: *tales enim sunt, qui Galilaeam tenent.* Quod vero de Galilaea in genere valet, de Nazaretham in specie adserit THEODORVS MOPSVESTENSIS, quando dicit: ⁴⁾ *Nazareth olim a Iudaeis superioribus walde contemnebatur, quia nimirum ab ethnicis tota illa regio incolebatur.* Iam vix fieri aliter poterat, quam ut Iudaei cum ethnicis, qui inter eos viuebant, diligenter versarentur, negotia tractarent, intimiorem amicitiam contraherent, et plura in gratiam eorum

2) l. III. p. 205 sq.

3) l. XVI. p. 523.

4) in comment. in Ioh.

rum facerent, quam quidem ipsis per traditiones Iudaeorum licebat. Possum illustrationis causa prouocare ad *Gergesenos* et *Gadarenos*, in regione Decapolitana habitantes, quibus se Syrorum plurimi immiscuerant, vti IOSEPHVS⁵⁾ perhibet. Iudaeis quidem non permisum erat porcos alere; quod testimoniis comprobauit LIGTFOOTVS⁶⁾; immo pro maledicto habebatur a sapientibus, qui hanc sibi licentiam sumebat: nihilo minus tamen porcorum gregem prope Gadaram offendis; vnde recte colligitur, hunc gregem vel ethnicos ipsos, ex Iudaeorum, ibi habitantium, indulgentia aluisse, vel Iudaeos Gadarenos eundem fouisse, lucri causa, vt ethnicis carnem suillam, qua magno opere delectabantur, diuendere possent. Quemadmodum igitur quisque, qui in consortio vivit cum contemptis hominibus, se ipsum etiam contemptui aliorum exponit; idque eo magis, quando in arctiore amicitia cum iis versatur, et quacumque occasione iis fauere studet, etiam tunc, quando recepta agendi ratio aliud quid postulat: sic mirum esse non potest, quod Galilaei suis contribulibus in Iudaea, et maxime Hierosolymis, degentibus, qui insigni fastu inflati erant, deque sanctitate sua admodum gloriabantur, valde displicuerint, quia ethnicos homines sodales suos fecerant, iustoque familiarius cum iis agebant. Nemini enim obscurum esse potest, quam vilipenderint omni tempore Iudaei gentiles, ita vt eos ne quidem inter proximos referre, atque a mortis periculo liberare voluerint⁷⁾; tanibus econtrario adsimilauerint⁸⁾, et promortuis habuerint⁹⁾. Quo itaque contemptu gentiles prosequi consueuerant Iudaei, eodem prosequerantur etiam Galilaeos, eorum socios.

B

§. VII.

5) de B. I. l. II. c. XXXIII. 6) ad Matth. VIII, 30. 7) LIGTFOOT horis ebr. ad Matth. V, 26. c. XVIII, 17. et Luc. X, 29.
8) LIGTFOOT l. c. ad Matth. XV, 26. et SCHOETGENIUS hor. hebr. T. I. p. 145. 9) LIGTFOOT l. c. ad Luc. IX, 60.

§. VII.

*Recensetur se-
cunda.*

Cum in Iudaea, et imprimis Hiërosolymis, studia maxime florerent, ea scilicet, quae a Iudaeis praecipue tractari solebant, ita ut Hierosolymis, prouti ex *Talmude* intelligitur, aliquando 460 vel 480 synagogae essent, quarum vnaquaeque *domum libri*, i. e. scripturae, s. ubi scriptura legebatur. et *domum doctrinae*, i. e. pro traditionibus docendis, habebat: Galilaei e contrario, commerciis tractandis, atque lucro potissimum intenti, ea valde negligebant. At enim studiorum cultura homines facit tum acutiore, tum mansuetiore; ubi ex aduerso eorum neglectus homines sinit rudes, stupidos, rusticos et feros. Quae cum ita sint, facile est ad iudicandum, Galilaeos quoque maximam partem fuisse rudes, stupidos, rusticos et immanuetos. Sed hoc ipsum nouam praebuit Iudaeis, cur Galilaeos contemnerent, causam: scientia enim non sanctificata homines plerumque inflat, facitque, ut illi, qui a cognitione erudita et bonis moribus sunt destituti, alto supercilio contemnuntur.

§. VIII.

*Haec tracta-
tio continua-
tur.*

Possum contemtus, qui ex hoc fonte manauit, probationem adferre ex Ioh. 7, 48. 49. ubi dicunt, *neque principem aliquem, neque pharisaeum, in Iesum credere, SED POPVLVM TANTVM, QVI LEGEM IGNORARET, id oque maledictus esset.* Per *populum*, qui legem ignorat, quem simpliciter עַם הָאָרֶץ, *populum terrae*, vocare consueuerunt, intelligunt omnes illos, qui studio sacrarum litterarum operam non dederunt, magistrorumque traditionibus non fecerunt satis. Opponunt hos *discipulis sapientum*, s. eruditis, quos עַם קָדֵשׁ, *populum sanctum*, adpellant. Quod vero de hoc populo hic quam contemtusime loquantur; patet partim ex eo, quia dicuntur

οχλος

DE PRAEIVDICIO IVDAEORVM IN SPECIE. II

οχλος εστος, populus *hic*, sc. qui nullius est pretii, vixque dignus, vt eius fiat mentio: partim ex eo, quod *maledictos* eos esse dicant, qui de hoc populo sunt. Idque vix mirum, siquidem in *PIRKE AROTH*¹⁰⁾ pronuntiant, *populum terrae non esse pium*; atque in *Gemara*¹¹⁾ R. ELIESER docet, *ne licere quidem hominis, qui scientia et intellectu caret, misereri*. Plura, quae huc pertinent, dat LAMPIVS in compendio¹²⁾, qui videri potest. Sed iam quaeritur: quosnam inprimis hi Adfessores synedrui innuant, cum de populo legem ignorante et maledicto sermonem instituunt? atque hic sine ambagibus respondeo, designasse eos potissimum *Galilaeos*, vt pote inter quos Iesus maximam partem vixerat, quorumque plures ad suas partes pertraxerat. Claret hoc 1) ex iis, quae nostrum textum antecedunt. Legis hic, fuisse *nonnullos*, qui ipsum virum bonum, sed musitando magis, quam palam et publice, *propter timorem Iudaeorum*, scilicet inprimis *Hierosolymitanorum*, Ioh. 7, 12. 13. 25. vocauerant, qui fidem ipsi quodammodo adhibuerant, atque cum Messia multa communia eum habere, significauerant, v. 31. Quibus ita dictis, memoratur potro, famam hac de re ad synedros perlaram v. 32. hosque propterea adeo furore percitos fuisse, vt ministros suos, ad Christum comprehendendum, emisissent. Cum hic mentio fiat *Iudaeorum*, quos timuerunt illi Iudaei, qui fauorabilius de Christo sentiebant: tum facile patet, distinguui a se inuicem Iudaeos strictius dictos, intra Iudaeam, et nominatim Hierosolymam, habitantes, qui Christo maxime molesti erant, aliosque abstrahere conabantur ab eius confessione, a Iudaeis latius dictis, qui extra Iudaeam sedes fixerant, Iesu partibus maxime fauebant, ideoque metuendi causam habebant. Haec autem potissimum in Galilaeos quadrare, res ipsa loquitur. Galilaeos

B 2

10) c. II. 5. 11) SANHEDRIN fol. 29. 2. 12) in comment. ad Ioh. I. c.

lilaeos itaque maxime innuerunt synedri, quando de turba, legem ignorante, eaque maledicta, verba fecerunt. Lucidissime vero hoc 2) constare potest ex iis, quae textum nostrum sequuntur. Cum enim Nicodemus Iesu partes in se suscepisset v. 51. non sine acerbo sarcasmo ex eodem quaerunt v. 52. *numquid et tu ex Galilaea es?* Optime iam nouerant, quod Nicodemus gente Galilaeus non esset: derisorie itaque interrogant; *Tunc etiam facis cum Galilaeis*, qui in ipsum credunt? Ex quo satis perspicuum est, quod, quae de populo, legem ignorante et maledicto, commemorauerant, potissimum ad Galilaeos reulerint, eosque contemtissime habuerint. Quin immo, luculentum quoque huius rei testimonium colligere possum ex eo, quod Iudaei, sicubi aliquem tamquam insigniter stupidum traducere voluerint, eum *Galilaeum stupidum* vocauerint. Fortassis ex his aliquam lucem accipiunt, quae Act. 2, 7. leguntur. Cum nimirum apostoli, donis spiritus sancti iam ornati, peregrinis linguis loquerentur; omnes, in stuporem acti, mirabantur, dicentes: *ecce! nonne hi omnes loquentes sunt Galilaei?* Quasi dicerent: homines adeo rudes qui tanta pollere queunt virtute?

§. IX.

Additur tertio.

Propterea quod Galilaei cum ethnicis versabantur, atque studia negligebant, contigit, vt lingua maxime vitiosa vterentur, et a loquendi ratione, in Iudaea recepta, nimium abirent. Habemus hac de discrepantia euidentis testimonium Matth. 26, 73. et Marci 14, 70. vbi Petrum quidam ex famulitio pontificis ita alloquuntur: *vere tu es unus ex illis*, qui scilicet Iesum hunc securi sunt: *et enim Galilaeus es; dialectus enim tua te manifestum facit.* Quomodo vero dialectus, qua vtebatur, ipsum manifestum facere potuisset, nisi illa multum fuisset diuersa a dialecto reliquorum Iudaeorum? Id ipsum vero saepius
Gali-

Galilaeis exprobrarunt in scriptis suis Talmudistae, qui dicunt, ipsos *non adcuratos fuisse in lingua sua, eos impolita lingua uti*, ita nimirum, ut distinctas quasdam litteras et voces in pronuntiatione confuderint, vel pro vna, et eodem sono protulerint; vnde factum, ut polite loquenteseos aliquando non intelligerent, sicut et ipsimet scite voces efferentes haud raro non intellexerunt. ¹²⁾ Quemadmodum vero nostris in vsu positum est, ut germanica barbare et vitiose proferentes derideant: ita vix mirum esse potest, quod Iudaei, intra Iudaeam habitantes, Galilaeos risu cachinnoque exceperint, et contemptum tractauerint, si tam barbare, confuse, insulse, et minus intelligibiliter loquebantur. Hinc loca adhucdum prostant in ipsorum monumentis, vbi eos eam ob rem *stultos Galilaeos* vocare non erubuerunt. Habes igitur *tertiam* causam contemptus, quo onerati fuerunt Galilaei a contribulibus

§. X.

Idem illud crebrius cum ethnicis confortium, et studiorum Iudaicorum, nec non purioris linguae neglectus, ^{Adfertur quarta.} peperit causam, cur contemnerentur ab aliis, ^{quartam.} Cum enim Iudaei, inprimis Hierosolymitani, traditionum suarum et rituum essent tenacissimi, ita ut eas ipsi scripturae longe praetulerint ¹³⁾; Galilaei vero eas interdum vel omnino susque deque haberent, vel aliis saltim ritibus vterentur: tum facile est ad intelligendum, quod hi in illorum odia et vilipendium incurrere debuerint. Galilaeos autem in quibusdam non conspirasse cum reliquis; id par-

B 3

tim

12) Conferri hic merentur *EVXTORFIVS* in lexico Rabb. sub voce לילי p. 434. *LIGTFOOTVS* in *centur. chorogr. Marrbaeo praemisfa* cap. 87. et *AVG. PEEIFFERVVS* in *fasc. disp. n. VII. de lingua Galilaea* etc. 13) Vide loca Talmudica, quae id edisserunt in *LIGTFOOTI horis ad Marrb. XV, 2.*

rim discitur ex eo, quod in *Talmude Babylonico* ¹⁴⁾ diserte dicant, non confirmatam esse legem in manibus eorum; eiusque rei hanc addant rationem, quod in lingua sua non fuerint *adcurati*; partim ex eo, quod in *Talmude Hieros.* quaedam differentiarum, inter ritus Galilaeorum et Iudaeorum, in Iudaea et Hierosolymis commorantium, specimina percenseant, quae commemoravit *LIGTFOOTVS.* ¹⁵⁾

§. XI.

Additur quin-
ta.

Erant quidem omnes in vniuersum Iudaei iugi Romanorum pertaesi, libentissime illud excusuri, si id praestare valuisent. Ast cum illi, qui paullo sagaciores et sedatiores erant, probe animaduertissent, hoc vix fieri posse: magis intra animum continebant suam aegritudinem, maiorique cum versutia commodis suis inuigilabant. Quod vero longe aliter se habuit cum Galilaeis. Hi enim, pro sua stupiditate, atque insigni, qua laborabant in rebus prudenter gerendis, ignorantia et morum feritate, Romanorum imperii prorsus impatientissimi, saepius turbas dederunt, omnemque mouerunt lapidem, vt se in pristinam libertatem adfererent. Coiuerunt itaque vel plurimi ex ipsis in agmen, pugnaturi aduersus Romanos; vel saltem exstitere inter eos quidam, qui se duces et antesignanos seditionum hominum, vnde cumque corraforum, praebuerunt. Habemus locupletem huius rei testem, *Gamaelielem*, qui *Actor.* 5, 37. excitat *Iudam Galilaeum*, qui eo tempore, cum census sub Cyrenio agendus esset, ingenti populo ad partes suas vocato, seditionem mouit aduersus Romanos: quia nefas esse dicebat, obedientiam et tributum praestare principi ethnico, vtpote quae soli Deo ab Israelitis praestanda essent. Plenius eius molimina

14) fol. 53. 15) in *centur. chorogr. Martb. praemisfa c. 86.*

na descripsit IOSEPHVS ¹⁶⁾, qui videri potest. Quum eiusmodi turbae plerumque infelicissimum exitum fortirentur; quod vel ipse *Gamaliel* de turbis *Iudae Galilaei* confessus est, et Iudaei apud *LVCAM*, cap. 13, 1. commemorant: sicuti etiam *R. MARDUCHAEVS* ¹⁷⁾ ait, *omnes eius adfectos se ipsos exposuisse nunc morti, nunc exilio, et omni generi calamitatum, ne iugum vilius Regis aut Dominatoris, qui in terra sit, suscipere debevent*: hinc prudentioribus Iudaeis, quantumvis libertatis studiosissimis, nouam materiam se et odio et contemptu prosequendi, dederunt. Contemnebant enim eos, quia praeuidebant, se magno conatu nihil acturos esse: odio vero dignos esse iudicabant, quia adfectis certissimam perniciem, aliis vero, etsi cum ipsis aperte non fecerant, grauiora mala attrahebant.

§. XII.

Denique se odibiles et contemptibiles reddiderunt omnibus propter extremam, cui se permiserant, malitiam. Concedo quidem, Iudaeos fere omnes, paucis exceptis, nullius frugis fuisse aetate Messiae: interim tamen neque illud negare possum, quod tum Hierosolymitani, tum qui in Iudaea habitabant, saltem externae morum honestati, vt boni viderentur, studuisse. Quod vero ad Galilaeos attinet, illi plerumque, omni pudore deposito, ad omne facinus prauum venales erant atque emancipati. Nulla ducebantur Dei reuerentia, aperti erant verbi diuini contemptores, nullo fere rangebantur vel religionis, vel etiam ipsius humanitatis, sensu. Inde vero mirum esse nequit, quod alios morderent, conculcarent, et dolosissime circumuenerent, ita vt nulla fides pietasque penes ipsos esset. Neque abstinebant isto acuo a publica violentia, quam obuiis quibus-

*Subiungitur
sexta.*

16) *Antiq. l. XVIII. c. I. et de B. I. l. II. c. 12.*

17) *in notitia Karacorum p. 32. ed. WOLELL.*

buseumque aut omnino inferebant, aut faltem intentabant. Plures enim ex ipsis latrocinia exercuere, atque in sicariorum fuere numero; unde a vero non aberraueris, si ipsos, quando maiorem eorum partem spectes, mortalium vocaueris nequissimos. Me vero ipsis iniuriam non facere, non solum ex Iudaeorum, atque imprimis *Iosephi*, scriptis patet; sed etiam ex Euangelistarum narrationibus, praecipue autem ex veracissimi Christi testimoniis, satis superque constat. Quamuis enim Iesus inter ipsos frequentissime doceret, et plurima miracula in salutem ipsorum patraret: nihilo tamen fecius non solum in eum non crediderunt, sed etiam eum tam indigne tractarunt, ut vix sine singulari animi commotione aliquis, nisi truncus et stipes sit, percipere id queat. Hinc non potuit non diuina ipsis, propter spreta tot ac tanta beneficia, iudicia denuntiari; quae imprimis de *Chorazin*, *Bethsaida*, et *Capernaumo*, Galilaeae oppidis¹⁸⁾, Matth. 10, 20-24. Luc. 10, 13-15. consignata leguntur. Quod vero Galilaei Messiae tempore malitia, in oculos etiam incurrente, omnes fere reliquos Iudaeos superauerint, si, praeter causas internas, de externis et occasionalibus aliquid dicendum, deriuari potest partim ex eo, quod in vicinia gentium corruptissimarum, quales Syri et Phoenicii erant, immo gentibus permixti, viuerent: partim quod illa aetate Herodi Antipae, cuius aula vitii scatebat, subescent: partim denique ex eo, quod Galilaea Sadducaeis vel Epicureis referta deprehenderetur. Inter Galilaeos, omnes, ut extreme malos, eminebant tamen *Nazarethani*. Praeterquam quod pessimum eorum ingenium testimoniis contribulium comprobari queat, quam luculentissime idem per-

18) Sicuti de *Capernaumo* id claret ex *Luc. IV, 31. Matth. IV, 13. Ioh. VII, 17.* ita de *Chorazin* et *Bethsaida* vide *CELLARII geogr. Ant. L. III. c. XIII. p. 414.* et *RELANDI Palaest. l. III. p. 63-65. et 72.*

perspicitur ex moribus, quibus erga Christum vsi sunt. Contemnebant eum propter humilem sortem, animumque suum aduersus doctrinam eius ita obfirmabant, vt ne quidem opportunam occasionem nancisceretur, qua suam miraculorum edendorum potestatem ostendere posset, Marci 6, 1-6. Non enim solebat miracula edere, vbi a se nemo petebat, aut vbi fieri a se posse nemo credebat. Quin immo, cum ipsis suam, qua laborabant, incredulitatem grauius exprobraret: eo vsque processerunt rabiei et furoris, vt eum de colle altissimo, cui inaedificata erat Nazareth, praecipitare vellent; quod etiam facturi fuissent, nisi se oculis ipsorum ex improviso subduxisset, Luc. 4, 14-30. Quae cum ita se haberent; tandem ab iis abstinit sequenti tempore, ipsorumque urbem praeteriit, cum ex Sichara in Galilaeam proficisceretur, Ioh. 4, 43-44. Hic non possum silentio praeterire, quod ea, quae de insigni Nazarethanorum malitia dixi, non mediocriter confirmat, eos, qui hodie Nazaretham habitant, nequaquam meliores esse illis, qui Christi aevo vixerunt. Sunt profecto hodierni eius ciues, vti ex relatione plur. Reuerendi M. SCHVLZII, qui illas oras frequentauit, accepimus, propter lasciuiam licentiosissimam, audaciam, morumque ferociam, vicinis suis prope infames, ita, vt si quis nequissimum nebulonem verbis reprehendere, eiusque indolem vno verbo exprimere voluerit, eum *jà nusfràni, o tu Nazarene!* compellet. Ad eundem modum Nazarethanorum fraudes et perfidia, quibus quacumque occasione vtuntur, vniuersis fere adeo innotuerunt, vt, si quis, siue sit Iudaeus, siue Muhamedanus, siue Christianus, animaduernerit, sibi fidem ab aliis non haberi, seque in doli mali suspicionem venire, ad tuendam famae suae integritatem, ira accensus, dicat: *Annussifàny àna, num quid putas, me esse Nazarenum, s. num quid putas, te iam negotia tractare cum Nazareno?* Sic demum satis peroravi hanc vltimam

rimam contemptus causam, quae Galilaeis, interque eos Nazarethanis, contemptum conciliauit, in extrema ipsorum malitia positam. Illud enim experientia iam dudum docuit, quod ipsi mali homines cum iis aegre versentur, qui, nullo religionis vinculo constricti, fallaces, atque ad quidlibet audendum, sibi permittendum, proni sunt; cum e contrario, se tutiores esse, commodisque suis melius inseruire se posse, credant, si cum iis agere queant, qui vitae sanctitati dant operam.

§. XIII.

*Contemptus hic
occasionem de-
dirbigae prouer-
biorum; quo-
rum proponi-
tur primum*

Odia et contemptus, quibus Galilaeae et Nazarethae ciues persecuti sunt, tam inualuere, tamque vniuersaliter obtinere inter reliquos Iudaeos, vt prouerbiis, sollempniter veluti receptis, quibus non solum illi, qui in alios iniquiores esse solebant, verum quoque cordati viri utebantur, significarent, quali in pretio apud ipsos essent tum Galilaei omnes, tum inprimis Nazarethani. Conseruauit ea nobis *Iobannes* in Euangelio, operaeque pretium me fatetur esse, confido, si pauca quaedam ad eorum illustrationem protulero; idque eo magis, quia Iudaei ea tartipiter, ad instar praecudiciorum, adhibuerunt, cum Iesu odia et contemptum conflaturo, ipsiusque causam prostraturo erant. *Primum*, quod contra *Galilaeos in vniuersum* dictum fuit, ex ore Adfessorum Synedrii exceptum, legitur Ioh. 7, 52. vbi *Nicodemo*, collegae. Processus aduersus Christum iniustitiam grauisime obiicienti, abrupte respondent, non esse multum de hoc homine, utpote Galilaeo, laborandum, cum in confesso sit apud omnes, *ex Galilaea nullum prodire Prophetam*. Si ipsa verba, prout *Iobannes* ea retulit, paullo attentius consideremus: tum offendimus 1) ipsum prouerbium: *ex Galilaea*, inquit, *nullus suscitatus est propheta*; 2) indicium, quo, se de suae adfessionis veritate plane certos esse, declarant. Hiuc *Nicodemum* quasi com-

compellunt, *ut scrutaretur et videret ipse.* Quodsi enim debitam diligentiam in scrutando esset impensurus; tum nullum dubium superfuturum, quin pedibus iret in eorum de Iesu sententiam. Posunt voces ἐρευνησον καὶ ἴδε vel sensu imperatiuo accipi, ita vt, duobus adhibitis synonymis, innuere velint, non leui brachio hic agendum, sed exquisito studio et scrutinio opus esse. Nicodemum hoc ipso, indirecte saltim, pungere videntur, qui, secundum ipsorum opinionem, speciosis quibusdam Iesu factis capus delususque esset. Vel potest *prior* tantum imperatiue explicari, *posterior* autem euentum significare; sicuti verba, quoad formam imperatiua, saepe tum apud graecos, tum apud ebraeos vim vel promissionis vel euentus denotandi habent. Quo posito, dicere voluisse certius etc. *scrutare* scilicet scripturas, *et tunc videbis* certius etc. Res eodem recidit, quodcumque elegeris; *vide non est*, quod his diutius immoremur.

S. XIV.

Ad alterum prouerbum, quod imprimis de Nazarethanis valet, progredior, quo vsum esse *Nathanaelem*, virum sine fuco, legimus, *Iob. 1, 47.* Cum enim is a *Philippo* ad Iesum, quem quidem Messiam esse fatebatur, sed, pro cognitionis suae modulo, filium Iosephi et Nazarethanum nominabat, inuitatus esset: bona mente respondet; *ἐκ Ναζαρετ δύναται τι ἀγαθόν εἶναι.* *Augustinum* haec verba *Nathanaelis* aut *dubitatiue*, aut *adfirmatiue*, fumsisse, putassequae *Philippus* regerit, cum adfirmatiuo sensu non minus conciliari queant; iam *LAMPIVS* ¹⁹⁾ monuit. Interim solus fere relictus fuit ab interpretibus Hipponensium praesul, et communior est sententia, *Nathanaelem* verba *negatiue* intellexisse. Fuit tamen nostra

C 2

aetate

19) in *comment.* ad h. l.

aetate cl. GVDIVS²⁰), cui sensus plane contrarius placuit. Verit enim: *Aus Nazareth kan ja noch wohl etwas Gutes kommen.* Equidem mihi scriptum Viri doctissimi iam non est ad manus, vt iudicium ferre queam de argumentis, quibus suam opinionem superstruxit: interim mihi, textum accurate consideranti, videtur, probabiliores saltim eorum esse meditationes, qui communiter adprobatam sententiam amplectuntur, nihilque causae esse, cur ea deseratur. Etenim 1) non video, qui huic interpretationi cum contextu conueniat. Cum enim Philippus Nathanaelem Christo vindicare vellet: Nathanael recitat verba, quae iam in quaestionem veniunt; ad quae Philippus respondet; *veni et vide!* Si Nathanael adfirmavit, ex Nazareth a Messiam provenire posse; quod GVDIVS vult: quid opus erat de nouo dicere; *veni et vide*, siquidem inuitatio iam latet et subintelligenda est in primo Philippi sermone v. 45. Si vero negavit, ex Nazareth aliquid boni venire posse: tum optime huc quadrant verba; *veni et vide!* Quasi diceret; cum tibi persuaderi non patiaris, quod Iesus, Nazarethanus, vir bonus, immo verus Messias sit: tum veni et vide! Quemadmodum enim nos ex consortio cum Iesu hoc intelleximus, ipsum esse eum, de quo scripsit Moses in lege, et prophetae: ita non dubitamus, quin tu post adueratiorem inuestigationem in eandem descensurus sis sententiam. 2) Si Nathanael sensum adfirmatiuum suis verbis substravit: tum omnino ea, quae a communi gentis opinione prorsus aliena erant, qua omnes Galilaei, adeoque etiam Nazarethani, pro pessimis habebantur, statuisse dicendus est; quod vero vix a probabilitate se commendat, cum e contrario probabilius sit, ipsum secundum mentem omnium locutum esse; idque in primis ideo, quia in omnium

20) in *Triade diss. exegetico-theol.* n. 3. vbi Nathanaelem a patriae suae contemptu modeste vindicat.

omnium noticia versabatur, quam corrupti essent Nazarethanorum mores. 3) Cum nostris verba Christi vers. 47. *ecce, vere Israelita! in quo dolus non est*, probe conueniunt. Cum enim de Nazarethanis animi sui sensa ingenue expressisset, sine circuitione professus, se valde dubitare, an Iesus pro Messia haberi queat, siquidem ad Nazarethanos pertinere, inter quos quippe vix aliquid boni existeret; et nihilo tamen minus a Philippo, ad rem penitus inspiciendam inuitatus, promte accederet: Iesus recte ipsum *verum Israelitam, virum ingenuum*, qualis Iacobus Genes. 25, 27. olim fuerat, compellare poterat. Nihil addo, firmiter fere persuasus, Nathanaelem, admirandum, ad sermonem Philippi *interrogatiue*, supposito sensu negatiuo, respondisse, hunc fere in modum: *kan auch bey der so sehr überhand genommenen Bosheit der Nazarethaner, von Nazareth noch etwas Gutes, geschweige denn der Messias kommen? das kan ich mich beynabe nicht überreden!*

§. XV.

Quia ad vnum omnes Iudaei Iesum ex Galilaea oriundum, et Nazarethae natum esse statuebant; hinc eodem contentu, quo illorum locorum incolas premere solebant, eundem onerarunt. Quod inter *Galilaeos* eum retulerint, adparet ex Matth. 26, 69. Luc 23, 5. 6. Ioh. 7, 41. 52. Quod vero nominatim pro *Nazarethano* ipsum habuerint, id tum ex amicorum, Matth 21, 11. Marci 10, 47. Luc. 18, 37. c. 24, 19. Io. 1, 45. tum ex inimicorum, Matth. 26, 71. Marci 14, 67. Ioh. 18, 5. 7. c. 19, 19. tum ex ipsorum diabolorum Marci 1, 4. Luc 4, 34. sermonibus patet. Atque haec opinio eorum animos adeo peruasit, vt eum per conuitium modo *Galilaeum*, modo *Nazoraicum* vel *Nazarenum*, vocauerint. Quemadmodum vero haec nomina aetate ipsius Iesu nata et vsurpata sunt, vti ex quibusdam locis N. T. a me iam adlegatis videre est: ita quoque

Iesum habebant pro Galilaeo, et in primis pro Nazarethano.

memoriam eorum conseruarunt secutorum temporum Iudaei; vnde et in scriptis suis Iesum imprimis sub nomine *Nazareni* traducere solent ²¹⁾ Vtque suum odium et contemptum non minus erga Christi ciues significarent, hos quoque passim *Nazarenos* vocarunt. Praeuiuit hac in re TERTVLLVS, rhetor, Act. 24, 5. cum nomine synedrii coram Felice aduersus Paulum verba faceret, quem agminatim deinceps secuti sunt posterioris aetatis verpi. Praeterquam quod hoc testimoniis HIERONYMI ²²⁾ et EPIPHANI ²³⁾ confirmari possit, adsunt quoque loca rabbinorum recentiorum, quae idem edisserunt ²⁴⁾. Ne vero aliquid desit contumeliae, ipsam quoque doctrinam christianorum fatis mature *Nazoraeorum haeresin* vocarunt; vti locus, supra ex *Actis* citatus, docet. Quod ad nomen *Galilaei* attinet, non quidem memini legere in monumentis rabbinicis, quod eodem vsu sint, ad Christum et Christianos probro adficiendos: interim probabile esse videtur, quod illud initio saltem sermone frequentauerint: partim quia, viuente in his terris Iesu, receptum erat, perinde vt nomen *Nazareni*; partim quia eius vsus ad gentes dimanauit. Confirmat meam sententiam IUSTINVS MARTYR ²⁵⁾, qui ait, Iudaeos in omnem terram legatos misisse, qui renuntiarent, *haeresin et sectam quamdam impiam et iniquam excitatam esse a Iesu quodam Galilaeo, plano et seductore*. Quidquid vero horum sit, Christum et christianos gentilibus hoc

21) conf. EISENMENGERVS *im entdeckten Iudenthum* P. I. p. 64. 71. 74. 79. 63. 65. et BERTORFII *Lexicon rabb.* p. 183. sq.

22) ad *Iesaiam* 5, 18.

23) *haeresi* 29. n. 1. et n. 6.

24) vid. BERTORF. 4. c. p. 184. EISENMENGERVS p. 254. 79. 62. 65.

25) in *dial. c. Tryph.* p. 33.

hoc nomine venisse, explorata res est. Sicuti enim patrum, de ethnicis hoc referentium, loca plura colligit SVICERVS²⁶): ita non desunt hodie ipsorum ethnicorum textus, quibus idem extra dubium poni potest. Prouocam ad solum Arrianum, discipulum Epicteti, qui inter alia inquit²⁷): *adsci porro quispiam sic potest (vt mortem intrepide subeat) per insaniam et consuetudinem quamdam, vti Galitaei.* Plura qui auct, adeat BVDDEVM²⁸), et alios.

§. XVI.

Neque negari potest, Iudaeos habuisse speciosos praetextus, quibus ad credendum induci potuerunt, Iesum gentem esse Galilaeum, et nominatim Nazarethanum. Quamvis enim I) Maria pariter atque Iosephus ex tribu Iudaica oriundi essent; non tamen habitabant ante matrimonium initum in Iudaea, striete dicta, sed potius Nazarethae, Galilaeae oppido. Inde enim a tempore solutae captiuitatis Babylonicae non soliti fuere reduces se intra pristinos tribuum suarum limites vnice continere: sed quisque pro nata occasione modo in hanc, modo in aliam regionem Palaestinae se conferebat; immo plures concedebant in Iudaeam, aut alias extra Palaestinam oras; quod in primis contigit, vbi Romani Iudaeam in suam potestatem redegerant. Quia vero Iosephus, Mariae coniux factus, partim officium suum Nazarethae exercendi opportunitatem fuerat nactus, partim autem reliqui cognati domicilium ibidem fixerant *Matth. 13, 55. 56.* hinc et se ipsum huic loco in perpetuum adferere apud animum constituuit. Etsi igitur census causa ad tempus Bethlehemum, locum natalem, et dein, vt Iesum, recenter natum, ex mortis periculo eriperet, in Aegyptum commigrauerat: mortuo tamen Herode, in-

*Exponitur
huius eorum
opinionis ratio
nes.*

26) in thes. eccl. T. 2. p. 1542.

27) L. IV. disc. Epict. c. 7.

28) in disc. de origine, dignitate et usu nominis Christiani §. 17.

primis quia Archelaum timebat, consentiente et providente Deo, Nazaretham remeavit cum familia; neque improbabile est, ipsum ibidem commoratum esse vsque ad obitum. Sed haec effecere, vt Iesus, sicuti Nazarethæ conceptus esse videtur *Luc. 1, 42. 43.* ita etiam ibidem, primam infantiam exegerit, et adultior factus patris laboribus manuariis interfuerit, inque ea permanferit vsque ad annum trigefimum aetatis, quo munus suum est auspicatus. Quae cum ita sint, cum paucissimi noscent, cum census tempore Berhlelemi in lucem editum esse: mirum sane non erat, quod eum pro Nazarethano haberent. Idque eo magis, quia etiam post inceptum munus non statim abstulit ab hac vrbe: frequentius quoque eam aditurus, nisi indignissime fuisset ab eius incolis exceptus. His accessit 2) quod tum ipse, tum euangelistae, aliquoties hanc urbem suam patriam vocarint. Vide *Matth. 13, 54. 57. Marc. 6, 1--4. Luc. 4, 23. 24. Iob. 4, 44.* Quid, quod? forte ipsi discipuli saepius Magistrum *Nazarenæ* nomine, quando cum aliis versabantur, insigniuerunt, ad instar *Matthaei* cap. 2, 23. gloriati, eum diuino plane nutu huic vrbi vindicatum esse, vt impleretur in eo simul vis, quae in voce *Nazareth* deprehenderetur. Videor mihi hoc vel ex eo probare posse, quod Iesus etiam post resurrectionem tum ab angelis, *Marci 16, 6.* tum ab apostolis, rectoria iam de vera Christi patria edoētis, *Act. 2, 22. c. 3, 6. c. 4, 10. c. 10, 38. c. 26, 9.* tum denique a Stephano, testibus ipsius accusatoribus *Act. 6, 14.* modo *Nazarenus*, modo *Nazoraeus*, modo *Iesus a Nazareth* cognominatus sit. Vix mihi persuaderi patior, id eos tantummodo ad imitationem Iudaeorum fecisse, sed existimo potius, illud cognomen apud ipsos in singulari fuisse honore, quo praecipua quadam cum voluptate, oblata quauis occasione, vsi sunt; quemadmodum Iesus ipse, iam ad coelos euectus, eo vsus est, cum Paulum ad meliorem mentem perducere laboraret

raret *Act.* 22, 8. Mihi de cetero iam perinde erit, vtrum voces *Nazareth*, *Nazareni* et *Nazoraei* cum plerisque a נָצְרִי *virgulto*, *germine*, an vero a נֶצֶר *custodiu*, an a נֶצֶר *nasiraeo*, *separato*, an a כִּוֵּן *corona*, an ab alio themate deduxeris: sufficit, dummodo mecum agnoueris, quod Iesus, moderante Deo, tot annos vitae suae Nazarethae transegerit, vt homines edocerentur, cum nominis illius mensuram vere adimplere; sufficit, dummodo te consentientem in eo habuero, quod discipuli, cum Christo versantes, haud raro illud nomen frequentauerint, sicuti illud post abitum Christi frequentarunt: sufficit denique, si mecum fateare, hunc a discipulis frequentatum nominis vsu Iudaeos eo magis in sua sententia confirmasse, quod Iesus Nazarethae oriundus, indeque contemptu dignus sit. Quem admodum vero nunc plenissime constat, cur Iudaei Iesum inter Nazarethanos retulerint: ita eodem modo facillime intelligitur, cur eundem hominem *Galilaeum* vocauerint. Factum id est non solum, quia Nazarethae Galilaeae oppidum erat; sed etiam quia omnem Galilaeam, singulosque eius vrbes et pagos, tum doctrina sua, tum miraculis illustrauit. In Galilaea docendi initium fecit, quod synedrii adfessores coram Pilato tamquam malae causae indicium aduersus Christum adlegarunt *Luc.* 23, 5. Petrus vero tamquam momentum, quod magnopere ad veri Messiae causam pertinebat, commemorauit *Act.* 10, 37. In ea vero etiam maiorem quadriennii, ad docendum destinati, partem exegit, ita vt ad eandem, sicubi aliquando in Iudaeam, aut aliorum se contulerat, haud ita multo post redierit. Offendiculo id ipsum tandem fuit suis cognatis, *Ioh.* 7, 1--5. adhucdum opinione regni mundani, a Messia instaurandi, fascinati, qui eum his fere verbis, durioribus sane, quam par erat, compellabant: quid haeres hic in obscura Galilaea? perge, quod iam dudum fecisse te

D

opor-

oportebat, in Iudaeam, vbi hoc festiuo tempore ingens datur hominum, auditorum et spectatorum, corona, vbi procerum confessus est, atque perspicacissimorum virorum concilium. Ibi versaberis in luce, hic latitas in obscuro. Galilaeis, ceu simplicioribus minusque peritis, facile fumum facere et glaucomata oblicere potes. Nisi vero tibi ipsi diffidas, Hierosolymam proficiscere, ibi praesta te virum, operaque, quae iactas, miraculosa ede. Quodsi quidem illi, qui acutum vident, et emunctioris naris sunt, post rigorosum examen calculum tibi adiecerint; tum nos non solum habebis fidem tibi adhibentes, verum etiam alios complures, interque eos illos, quorum tibi animos iam conciliaisti.

§. XVII.

*Hinc volebam
demonstrare,
quod Iesus
Messias non
esset.*

Interim ea ipsa opinio, qua Iesum Galilaeum, et nominatim Nazarethanum, dicebant esse, effecit, vt dictariis illis, quae de Galilaea et Nazareth in omnium ore erant, in ipsum translatis, cum pro veri nominis Messia agnoscere nollent, iam enim sequentem in modum aduersus Christum disputabant. *Si ex Galilaea omni, potissimum vero ex Nazareth, nequid in aliquid boni, aut aliquis propheta, prouenire potest: tum multo minus Messiae ortus inde repeti poterit. Si vero Messias ex Galilaea et Nazareth repeti non potest; Iesus vero certo certius ex Galilaea, et nominatim ex Nazareth, originem suam traxit: tum tantum profecto abest, vt is verus Messias sit, vt nequidem pro propheta, quin imo nequidem pro viro bono, haberi queat. Est igitur haereticae doctrinae auctor, turpissimusque, qualis nondum fuisse adspexit, impositor.* Atque in his argumentationibus, quas suis praedictis, tamquam infallibilibus principiis, superstruxerant, sibi adeo placebant, vt eas quavis demonstratione mathematica firmiores esse arbitrarentur. Produnt magnam illam, quam in suis reponabant, fiduciam satis superque

perque eo, quod, cum *Nicodemo* ad animum reuocauerant, *Iesum esse Galilaeum*, statim *surrexerint*, et, quasi res omnis hoc vno monito confecta, indignaque esset vltiori scrutinio, *domum petierint* Io. 7, 53.

§. XVIII.

Verum enim vero nunc monstrabo, fuitiles et omnino falsas esse illas propositiones, a quibus probationem eius, quod Iesus non sit verus Messias, desumere voluerunt Iudaei. Peccarunt enim 1) in eo, quod *vniverfaliter*, absque vlla restrictione addita, edixerint, *ex Nazarethā nihil boni provenire posse*, atque *ex Galilaea nullum prophe- tam suscitatum esse*. Quamvis enim Galilaei omni fere tempore pessimos mores ostenderint; quod Deum quoque permouit, vt eos ante omnes alios in captiuitatem a Tiglathpilesere abduci passus fuerit, pluribusque calamitatibus inuoluerit: illud tamen veritati consentaneum non est, quod *nemo bonus, nullus propheta*, ex Galilaea prodierit vquam. Sit ita, *plurimos* inter eos inde ab omni retro tempore vitiorum luto fuisse immersos: saltem tamen *pauciores* exsistere, qui, diuina luce collustrari, pietatem haud fucaram coluerunt. Vt fidem adfertis faciam, pro- uoco a) ad *Ionam*, prophetam vere illustrem, notabilemque Christi typum, qui diserte 2 Reg 14, 25. ex *Gathbepebera* ortum traxisse perhibetur. *Gathbepeberam* vero *Hieronymus*, in praefatione ad *Ionam*, viculum dicit esse *in secundo sa- borim militario*, adeoque in medietullo Galilaeae situm, qui olim ad tribum *Sabuloniticam* pertinuit, *Iosuae* 19, 13. *Ionae* b) subiungo *Eliam*, *Thisbiten*, 1 Reg. 17, 1. a *Thisbe*, oppido Galilaeae, ita vocatum. Scio, litigare eruditos de etymologia et significatione vocis Ebraicae עֵשֶׁת, aliis eam inter adpellatiua, aliis inter propria nomina referenti-

*Sed ostenditur
virium pri-
mum, quo la-
borabat eorum
demonstratio.*

bus. Inter illos nomen suum profitetur *LIGFOOTVS* ²⁹⁾, qui עֲשָׂבִי pro epitheto *Eliae* haber, dignitatem propheti-
cam eloquente, et *conuersorem* denotante. Quia vero haec
explicandi ratio valde a probabilitate abest; hinc plerique
eos sequuntur, qui nomen proprium, et quidem loci s. pa-
triae *Eliae* sub illa voce sibi inuenisse visi sunt. Sed nunc
quaeritur; qualenam nomen illius vrbis, a qua *Elias This-
bita* vocatur, fuerit, et quaenam regio eandem sibi vindic-
care queat? LXX virique quaestioni satisfacere videntur,
quando verba i Reg. 17, 1. vertunt: ὁ ἐκ Θεσβῶν τῆς Γε-
λαὰδ, qui ex *Thesbon* regionis *Galaad*; quibuscum consentit
IOSEPHVS ³⁰⁾, vt alios taceam. Quam vero urbem hi
Thesbon efferunt, eam et *Targum*, et *Kimchi*, efferre *Thosabb*
maluerunt; cum e contrario *EVSEBIVS* et *HIERONY-
MVS* voce *Thesba* vtuntur. Omnes fere recentiores in id
conspirarunt, urbem in Gileaditide trans Iordanem quae-
rendam esse, etsi specialiozem eius situm tribumque, ad
quam pertinuerit, se indicare non posse, confessi sunt.
Vnde *CELLARIVS* ³¹⁾ suspicatur, nomen mutatum esse
cum tempore. Quodsi vero haec sententia, qua *Eliae* patria
ad regiones transiordanicas refertur, recte se haberet: tum
omnino auram verberarem, pro Galilaeis ex *Eliae* exemplo
disputaturus. At vero bona res est: iam dudum enim ob-
seruauit *RELANDVS* ³²⁾, urbem *Thisben* Galilaeae, in re-
gione tribus *Nephthali*, vindicandam esse. Nititur testi-
monio, in his haud contemnendo, auctoris apocryphi, *To-
biae* 1, 2. qui *Tobiom*, a Rege *Asyriorum* in captiuitatem
abductum, ortum esse dicit ex *Thesba*, quae est a dextra *Cy-
dus*

29) in *horis ebr.* ad *Luc.* 1, 17.

30) *Antiq.* l. VIII. c. 7.

31) *l. c.* p. 540. sq.

32) in *Palaeatina* L. III. p. 103. sq.

dius Nephtaliticae, in Galilaea supra Afer. Vivit vero ex hoc testimonio clare euinci queat, *Eliam* vtiq̄ue Galilaeam patriam habere: ob stare tamen eidem videtur, quod 2 Reg. 17, 1. additum legitur, eum fuisse מְרוֹשְׁבֵי גִלְעָד, *ex incolis Gilead.* Quae verba cum interpretes ad vnum omnes de regione Gilead, trans Iordanem sita, acceperint: nunc iure quaeritur; si *Elias* vnus ex incolis regionis transiordanicae fuit; qui potest ipsius patria in media Galilaea inuestigari? Vt igitur *RELANDVS* sibi lectoribusque suis hunc scrupulum eximeret; responderet, posse haec facile inter se conciliari, dummodo adferatur, *Eliam patriam quidem fuisse Tbisiten, Galilaeam, sed diu habitasse in Gileaditide.* Non est spernenda haec responsio. Sicut enim *Christus* dici potuit *Beth-bemita*, Iudaeus, natiuitate; et *Nazarethanus*, homo Galilaeus, si educationem et diuturniorem in hoc oppido commemorationem spectes: ita *Elias*, si de solo natali sermo erant, *Galilaeus*, atque a loco habitationis *Transiordanensis* vocari potuit. Interim tamen existimo, *HARDTIVM* ³³⁾ et faciliorem et rectiorem huius dubii solutionem dedisse, quum vocem *Gilead* non de regione, sed de vrbe, intra terminos Nephtaliticae tribus sita, interpretatur. Solidam, vt puro, pro sua sententia probationem repetit ex 2 Reg. 15, 29. vbi historicus sacer narrat. *Tglathpilseserem*, tempore *Pekachi*, Israelitarum Regis, totam Nephtalidem, in superiori Galilaea, atque inprimis vrbes, *Ion*, *Abel bet Maacha*, *Ianoach*, *Kedesib*, *Chazor*, GILEAD, atque *Galila* subiugasse. Quod *Gilead* hoc loco de vrbe, eaque Nephtalitica, valeat, 1) ex eo adparet, quod inter meras vrbes recensatur; 2) quod, post factam subiugatarum urbium commemorationem, scriptor sacer adiciat: כָּל אֶרֶץ נַפְתָּלַי, et in vniuersum omnem terram *Nephtaliticam*. Quae si adsumferis, statu-

D 3

33) in Progr. Galilaei, *Elias*, *Elisa*, *Ionas*, *Amos*, *Hoseas*, *Nabum*
 p. 6-10.

tuendum est, *Eliam* natum esse in Galilaea, in vrbe *Thisbe*; egisse vero, et sedem fixisse in vicina vrbe *Nephtalitica*, *Gilead*, donec pro officii ratione per vrbes ceteras commeandum esset. Atque sic demum patet, me haud immerito *Eliam Ionae*, Galilaeum Galilaeo, ad latus posuisse. 3) Huic bigae succedat *NACHVMVS*. Et *Nachum* quidem dicitur c. 1, 1. *Elkofschita*. Putant nonnulli, pertinere hoc nomen ad designandum *patrem* vel *gentem* prophetae, prouti *Ionatban* quoque vertit: מִבֵּית קֹשֶׁי, de *domo Koschi*: sed longe probabilius est, vocem locum natiuitatis, educationis, vel habitacionis spectare. Sicuti enim, cum *Micbas* c. 1, 1. Vocatur *Moraschbi*, *Moraschtaeus*, nemo de patre, vel de gente, ex qua oriundus fuerit, cogitat; sed omaes vocem de patria accipiunt: ita recte etiam vocabulum *Elkofchi* de natali solo accipitur. Cui accedit 1) quod, si pater s familia alicuius prophetae significare debuit, scriptura dicat, cum fuisse *filium* huius vel illius, vti ex initio prophetiarum, *Zephaniae* et *Zachariae*, aliorumque, perspicitur; 2) quod reuera locus detur huius nominis *Elcesi*, a quo quam commodissime denominatio *Elcosaei* deduci potest; vnde valde alienum esset, si quis certiora relinquere, atque ad incertiora confugere vellet. Vbi vero hic locus situs fuerit, docet *Hieronymus* in prooemio ad prophetiam *Nachumi*. Postquam enim is opinionem eorum exploserat, qui ex *Elkofsch* parentem prophetae exsculpere studuerunt, reuera commonstraturus, subiicit: *cum Elcesi vsque hodie in Galilaea viculus sit, paruus quidem, et vix ruinis veterum aedificiorum indicans vestigia, sed tantum notus Iudaeis, et mihi quoque a circumducente monstratus*. Nec desunt alii ex patribus, veluti *CYRILLVS*, qui ad traditionem haud obscuram prouocat, atque *EVSEBIVS* de *locis ebraicis*, qui cum *HIERONYMO* consentiunt, quod *Elcese* nomen loci designet; in eo tamen ab ipso diuersi, quod regionem, cui ille locus vindicandus sit, se ignorare, monumentis quippe

pe destituti, fateantur. Stamus igitur, quando *Elcesi* ad Galilaeam referimus, sola *Hieronymi* auctoritate, qui ipse Palaestinam frequentavit, suaque ab ipso Iudaeo id referente sumit; arbitrati, eum magis fide dignum esse *Pseudo-Epiphanio* de *vita prophetarum*, qui sub commemoratione plurium commentorum, *Elcesi* ad tribum Simeonitarum trans Iordanem reducit.

§. XIX.

Proposui huc vsque prophetas, de quibus interpretum plurimi statuunt, eos Galilaeis adnumerandos esse. Cum vero *HARDTIVS* l. c. quosdam alios hunc in censum retulerit: agedum! paucis de iis videbo. Et primo quidem in medium producit³⁴⁾ *Elisam*, qui *Abel Macholam* 1 Reg 19, 16 patriam urbem agnoscit. Mentio huius loci occurrit praeterea *Iudic.* 7, 22. et 1 Reg. 4, 12. ita tamen ut diserte eius situs nullibi sit designatus. Interim ex locis, cum nostro confociatis, haud obscure intelligitur, eum ad dimidiam tribum Manasitarum cis Iordanem pertinuisse, quaerendumque esse, ut *CELLARIUS*³⁵⁾ existimat, inter vallem Iesrael et Scythopolin. Cum vero haec Manasitarum portio ad *Samaritam* referenda sit, quod causae *HARDTII* aduersatur: in subsidium vocat *Iosuae* 17, 11. ubi loca, *Abelmacholae* vicina, quae Manasitarum dimidiae tribui ceserunt, de *Isascharitarum* et *Aseritarum* tractibus decerpta esse leguntur; indeque infert, *Abelmecholam* itidem de *Isascharitarum* ditione detractam esse. Quia vero huius tribus urbes in Galilaea inferiori situm habuerunt; hinc concludit, *Abel Macholam* quoque in Galilaea inferiore constituendam, ideoque *Elisam* Galilaeum esse. Fateor, haec non sine specie dici, parumque absit, quin me in suas partes pertraxerit vir doctus. Interim tamen

vnum

34) p. 10.

35) l. c. p. 41.

unum mihi obstat, quo minus admittam, valide concludi posse; quia *Isascharitica portio sita est in Galilaea inferiori, ergo etiam Abel Mechola*. Distingui forte potest inter illos tractus, quos *Isascharitica* tribus vere tenuit, atque inter illos tractus, qui quidem in prima diuisione ipsi assignati, deinde vero ab ipsa abstracti, et *Manassitis* dati sunt. Illos in Galilaea inferiori existisse, concedo; hos vero ibidem inuestigandos esse, nego, donec res in maiori luce, siquidem id fieri potest, ponatur. Porro *HARDTIUS* prophetis, ex Galilaea oriundis, adnumerat *Amosum*, *Thekoensem*, *Amos I*, I. incertus tamen, vtrum *Thekoam* cum *Epiphania* inter *Sabuloniticas*, an cum *Kimchio* inter *Aseriticas* vrbes quaerere debeat³⁶). Sed video, virum doctum hic destitui argumentis omnibus, et praeterea inania adferre contra eorum sententiam, qui cum *IOSEPHO* ET *HIERONYMO* *Thekoam* tribui Iudae vindicant: vnde iure eum deferendum esse puto; idque eo magis, quia *Ven. Praeceptor noster*, *C. B. MICHAELIS*³⁷) *communio*rem sententiam post *CELLARIUM* ET *RELANDVM* egregie communit. Denique Galilaeis conciliare conatur *Hoseam*, auctoritate inprimis *Epiphania* de *vita Prophetarum* nixus, qui *βελεμωδ* s. *βελεμων* in tribu *Isascharitica* ipsius patriam esse enuntiavit. Viderur quidem *RELANDVS* eandem sententiam tenere: Sed vero cum neque *Hoseas* ipse patriae suae mentionem iniecerit, neque aliud quoddam eius rei vestigium in vniuersa *S. S.* occurrat, neque aliud fide dignum testimonium humanum compareat; non placent in *Pseudo-Epiphania* adquiescere, noloque in re plane obscura aliquid definire.

§. XX.

36) p. 12. sq.

37) in *dist. de varicinis Amosi prophetae* p. 9. sqq.

§. XX.

Quamuis vero HARDTIUS quoad eos prophetas, quos adfuit, causa cadat: nihil tamen damni ex eo percipimus: partim quod de *Elia*, *Iona* et *Nachumo*, certo constat, eos homines Galilaeos fuisse, partim quod in confiniis N. T. recte *Luca 2, 36.* prophetissa, *Hanna*, existit ex tribu *Aferitica*, quæ vero haud dubie sedes habebat in Galilaea. Hic sane non satis mirari possum tum ignorantiam, tum peruicaciam Adfessorum Synedrii. Qui scripturas sacras propemodum deuorasse videri volebant, et *Nicodemo* tam seuro vultu minaceque fronte iniungebant, vt, ad erroneas opiniones dissipandas, *peruestigaret ac videret scripturas*, ipsimet tam spissa scripturae ignorantia laborant, vt ne quidem sciant, Deum olim ex Galilaeis prophetas excitasse. Qui omnem disputandi rationem, et mores, quibus vsi sunt Iudaeorum principes aduersus Christum, diligenter contulerit cum *Mosis* prophetarumque oraculis, quae de *Messia* agunt, is plura profundissimae ipsorum ignorantiae specimina, in causa *Messiae* edita, quam facillime obseruabit. Scripturas nimirum ipsas, earumque obuium sensum, prouti par erat, non scrutabantur; sed omne potius praesidium in traditionibus, ad quas illas intorquebant, ponentes, stulte arbitrari sunt, se scripturas intelligere si traditionum quisquillas omni animi contentione tractassent. Habebat itaque optimus Seruator grauisimas causas, ipsis *Ioh. 5, 39.* scripturarum, quas alte ignorabant, scrutinium de meliori commendandi, certus nimirum, quod, eo debite instituto, ipsum certo certius pro *Messia* agniture sint.

Ex his elucet stupenda Iudaeorum ignorantia;

§. XXI.

Sunt nonnulli, quibus persuaderi non potest, Synedros adeo caecutiisse, vt ignorauerint, fuisse quondam prophetas, ex Galilaea oriundos; cum vel ex recentioribus

Quam nonnulli frustrantegant; imprimis cum nouo documen-

E

Iudaeis

no confirmari
queat.

Iudaeis quidam nominari queant, e. c. *Kimchius, Abarbanel*, et alii, qui *Ionam* et *Amosum* inter Galilaeos quaerunt. Quamobrem in eam ingrediuntur sententiam, quod Iudaeorum proceres non de prophetis aeui remoti, sed de iis loquantur, quos tempore Messiae expectabant, adeoque vel de praesentibus, vel futuris. Quaestionem enim iam motam fuisse de eo, vtrum Iesus Nazarenus sit propheta expectatus, an minus? Quam cum *Nicodemus* adfirmaverit, negasset eam collegae, dixissentque: *quaere et dispice, num quisquam doctorum pronuntiauerit unquam inter antecessores, prophetam, quales cum Messia desideramus, ex Galilaea oriundum esse, aut nasci debere.* Tribuit hanc synedrii mentem **HARDTIUS** ³⁸); nec negari posset, haec cum aliqua specie dici, nisi partim de crassa illorum temporum ignorantia aliunde constaret, partim vero textus Iohanneus alia omnia doceret. Quod enim ad illam attinet, luculentum eius specimen edidit illustris Israelis doctor, *Nicodemus*, Ioh. 3. 10. cum Christus de *regeneratione* sermonem instituisset, cuius tamen mentio toties totiesque a prophetis facta est. Quod ad hunc attinet, non iam commemorabo, quod, si de propheta vel prophetis loquuti fuissent synedrii adfessores *definite*, scriptor s. haud dubie adhibuisset articulum *o*, qui vero hic exulat, ita ut *indefinite* legatur, *ex Galilaea Prophetam in vniue sum non surrexisse*; sed illud inprimis monebo, quod *forma verbi*, a Iohanne adhibita, hanc explicationem non admittat. Iuxta eam non pronuntiat, *prophetam non suscitatum iri, sed in significatione praeteriti, prophetam non suscitatum esse.* Interim, quamvis haec recte se habere existimem, concedam tantisper, Hierosolymorum proceres locutos esse de eo, quod ex Galilaea nullus excitandus sit eorum prophetarum, quos circa Messiae

tem-

38) l. c. p. 14. sqq.

tempora, aut cum eo expectarent: tum tamen patescit, futile fuisse eorum adfertum, ipsosque absurdum fuisse contra Galilaeos praeeudicium. Poterant nimirum, si aequae scripturis, ac traditionum deliramentis, indulgissent, ex *Iesaiæ* 8, 23. cap. 9, 1. peruidere, quod Deus liberalissime promiserit, fore, ut terrarum Galilaicarum (non vero Hierosolymorum, ut hic somniant Iudaei) incolae, quos olim tamquam contentissimos hostium arbitrio permiserat, postremo tempore, scilicet aetate Messiae, (non vero Hierosolymorum, sed a Senacheribo liberabantur; quae iterum est Iudaeorum sententia) admodum *honorabiles comparituri sunt*; quia effecturus esset, ut *lux magna* ipsis oriretur, quae radios suos undique spargeret. Liceat mihi ex hoc oraculo Iesaiano contra Iudaeorum opiniunculam sequentem in modum argumentari: si Deus Galilaeos tempore Messiae ab illo vilipendio, quo adflicti fuerunt priori aevo, liberare, et honorabiles reddere, deinde vero tenebras, quibus immersi fuere, dispellere, ac denique luce magna, quae splendore suo omnia peruadet, exhilarare vult; tum absolum plane est statuere, inter ipsos neque aliquid boni, neque vllum prophetam existurum esse. Iam verum est prius, ex propheta rite inspecto; ergo etiam valet posterius. Quae cum ita sint, si ego vel maxime, praeeudicii Iudaeorum tinctus, haec promissa Dei, per Iesaiam publicata, de terrenis beneficiis interpretarer: tum tamen, κατ' ἀνθρώπων disputando contra Iudaeos, vindicare possem Galilaeae prophetas; quia ipsimet docent, ut ridicule, *spiritum propheticum habitare super homine diuite et potente*. Si vero ea, ut par est, de spiritualibus accepero, atque per gloriam, Galilaeis conciliandam, et per lucem, illis adfulturam, inter alia egregiam cognitionem rerum, ad salutem pertinentium, intellexero: tum denuo, et quidem secundum veritatem, obuium est, ex Galilaea omnino viros bonos atque eximios prophetas prodire potuisse et debuisse

buisse aevo Messiae. Et reuera Iesaiano vaticinio respondit euentus. Cum enim Iesus, verus Messias, *ὧς τὴ κορυμῆς*, comparuisset: tum Galilaeam sua doctrina et operibus non solum illustravit, sed etiam apostolos suos ex ea sibi potissimum elegit³⁹⁾, pluresque alios sibi discipulos ibidem constituit; quod omnino Galilaeae singulari honori cessit, eamque a pristino contemptu immunem praestitit. Sed fat, fatis, affatim, ad confutandum praedictum, quo Galilaeis molesti fuerunt Iudaei.

§. XXII.

Ostenditur vitium secundum, quo in forum probatio laborat.

Supereft, vt ostendam 2) inanem quoque esse eorum argumentationem (§. 17.) respectu Christi, si vel maxime largirer, quod Galilaea expers fuerit et prophetarum et boni omnis. Quamuis enim altas radices apud ipsos egisset illa opinio, quod Iesus ex Galilaea ortum traheret: rurpiter tamen in eo errabant, cum *Bethlehemum* potius patriam, quae ex Michae 5, 1. Messiae destinata erat, agnosceret. Cumque hoc mirum videri potuisset, qui Iesus *Bethlemi* in lucem editus sit, cum tamen parentes ipsius domicilium Nazarethae sibi fixerant, et de itinere *Bethlehemum* suscipiendo antea ne cogitauerant quidem: hinc euangelistae, *Matthaeus* et *Lucas*, hoc negotium tam diligenter, et sub eiusmodi circumstantiis, persequuntur, quae cum historia profana quoque consentiunt, vt nihil dubii superesse queat, nisi quis veritati praefracte obloqui voluerit. Exponit enim diuus *Lucas* occasionem, qua compulsus fuit Iosephus, vna cum Maria, circa tempus imminentis partus, *Bethlehemum* petere; edisserit, quam tenuiter habitus ibidem sit natus infans; nec tacet modum, quo Christi natiuitas in pastorum notitiam peruenit, qui agmi-

³⁹⁾ cont. Hasei Sylloge disl. p. 133. de *Naphthalitide patria apostolorum*.

agminatim ad eum videndum confluerunt, vifaeque deinceps cum aliis communicarunt; denique etiam circumcilionem, in puerulo administratam confueto tempore, commemorat, et fubfecuta purificationis Mariae follemniam. *Matthæus* praeterea addit, quia Iefus non folum Iudaeorum, verum etiam gentium faluator futurus erat, quam admirabiliter Sophi quidam inter Perfias ad eum falutandum excitati, iter verfus Hierofolymas ingreffi, et Bethlehenum a fanctiori Iudaeorum concilio atque ab *Herode* amandati fuerint; refert etiam, quantas infidias recens nati vitae fruxerit Herodes, tyrannus, cum fibi a nouo Rege, qui iam exiftere perhibebatur, metueret, eousque, vt, ad eum eo certius perimendum, horrendam ftragem in totius tractus Bethlehemitici infantibus ediderit, cuius fama ad ipfos externos pertigit, ficuti eius quoque mentionem, quamquam paullo obfcurlus, facit fcriptor Iudaeorum do-
mesticus, Iofepbus.

§. XXIII.

Forte dixerit aliquis; fiquidem Iefus reuera Bethlehemi lucem adfpexit, eiusque caufa et pastores et Perfiarum fapientes diuinitus excitati funt, ad eum oculis vfurpandum; fi porro fama de nato Bethlehemi Meflia, ficuti ad alios, ita etiam Hierofolymam, perlata eft ad proceres populi Iudaici: tum capere nequeo, qui fieri poterit, vt hi tam alte ignorauerint, Iefum efle Bethlehemitam, minime vero Nazarethanum, quae omnium fuit vnanimis opinio. Sed refpondeo 1) cum Iefus vix aliquot hebdomades Bethlehemi fine externo splendore expleuerit, mox autem, inftante illa laniena, in aegyptum profectus fit, atque, ex ea reuerfus, non Bethlehemum fed potius Nazaretham adierit, vbi vsque ad trigefimum aetatis fuae annum commoratus eft; intra quod tempus alii, qui rerum circa natiuitatem ipfius geftarum notitiam habuerunt, mor-

*Dubium fit
quod foluitur.*

tem iam obierant, alii vero, eum cum reliquis infantibus peremtum esse, putabant: tum profecto mirum non est, quod Hierosolymitani insequenti potissimum tempore 1) perfarum magos a phantasia sua delusos fuisse, hunc Iesum vero 2) nonnisi ex Nazareth, cui quippe a prima pueritia adfixus manserat, originem trahere, crediderint. Potest haec ignorantia eo facilius concipi, si quis perpenderit a) Hierosolymitanis pariter atque aliis Iudaeis, ad quos forte fama de nato Bethlehemensi Messia pertigerat, per tyrannicum Herodis ingenium non licuisse accuratius in eum inquirere. Permittere itaque eum quasi debebant suo fato, expectareque, quid Dei providentia effectura sit. Cum vero per integram annorum seriem nihil de tenello Bethlehemita inaudissent, et successiue omnis memoria eorum, quae de eo perceperant, deleta esset; Iesus vero nonnisi tamquam Nazarethanus ipsis innotuisset: hinc vix in mentem sibi venire patiebantur, quod hic idem ille esset, cuius causa Herodes olim infantes Bethlehemiticos trucidari iusserat. Eo minus vero b) Iesu, de se testanti, quod Bethlehemita natus Messias esset, fidem adhibebant, quo minus ipsorum praecognitis de Messia, Rege, opinionibus respondebat.

§. XXIV.

Et nota tractatio finitur.

Postquam igitur falsitatem praecudiciorum Iudaicorum in causa Christi ob oculos posuimus; vltro sequitur, vt falsa sit eorum conclusio, quam ex iis, tamquam certis principiis, elicere studuerunt, quod scilicet Iesus nec esset, nec esse posset verus Messias. Plura poteram hic addere; sed per angustos, quibus inclusus iam sum, temporis cancellos hic subsisto, confusus tamen, me saltem nihil eorum omisisse, quae ad arcem rei spectant. Quemadmodum vero vehementer dolendum est, quod Iudaei verum Messiam, tam iciunis, tam falsis ratiunculis ducti, receperint:

rint: ita nos habemus, quod nobis gratulemur, faniora per Dei gratiam et veriora edocti; vbi tamen nostri simul est officii, vt veritate recte agnita rite vramur, ne meliora quidem videntes, sed deteriora secuti, in eo grauiorem incidamus reatum et pœnam.

FINIS.

CORRIGENDA.

- p. 1. in marginali lin. 5. *nouerunt* lege *noluerunt*.
 p. 2. lin. 24. *amplectendam* l. *amplectendam*.
 p. 6. lin. 16. pro 46. l. 47. p. 8. §. 6. lin. 6. *contentum* l. *conten-*
rum. p. 10. lin. 6. *doctrinae* l. *doctrinae*. p. 26. §. 17. lin.
 12. *si* l. *si*. p. 30. lin. 15. *significare* l. *significari*.

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
 HONORVM PHILOSOPHORVM

CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Recte facis, PRAESTANTISSIME CANDIDA-
 TE, quod post priuatam diligentiam, studiis philosophi-
 cis, historicis, philologicis et theologicis in hac Academia
 nauatam, in publicum prodeas, profectuum cum laude adquisito-
 rum documentum editurus. Selegisti eum in finem argumentum,
 de quibusdam praecipuis Iudaeorum aduersus Christum, quod et
 propter dignitatem obiecti, circa quod versatur, et propter prae-
 clarum usum, qui ex eo sua sponte fluit, harum rerum peritis
 facile adprobabitur. Persecutus es illud ea ratione, vt tum de
 eorum

eorum origine, rum de eorum futilitate, siue ea in se species, siue ad Christum referas, satis constare queat. Poteras tamen, ut ipse sub sinem scripti Tui monuisti, plura addere, nisi iter in patriam, ubi iam omnia tumultibus bellicis perstrepunt, maturandum fuisset. Poteras e. c. ubi de pessimis Galilaeorum moribus, quos aetate Iesu ostenderunt, agis, illustrationis causa adferre, quae in ipso Talmude docentur, generationem, in qua venturus Messias, omnium nequissimam fore; et Gamalielelem imprimis dixisse, in illa generatione, in qua veniet filius David, Galilaeam deuastrandam, et Galilaeos vagaturos de ciuitate in ciuitatem, et misericordiam non consecuturos esse. Poteras porro, ubi de Messia, ex Galilaea prodeunte, verba feceras, subiicere, quod in ipso libro Sohar Genf. et Exod. adferatur, reuelandum et habitaturum esse Messiam in terra Galilaea, totumque mundum cogniturum, quod Messias in Galilaea reuelandus sit. Poteras praeterea, cum ostenderas, Iudaeos Iesu vitio vertisse, quod Galilaeis stupidis et stultis se immiscuerit, in contrarium monere, quod R. Iochanan, teste Talmude, ex vetustissima traditione professus sit, post templum vastatum sapientiam ablatam esse a prophetis, et datam stultis et pueris. Poteras denique, ubi recte negas, Iesum natales suos Nazarethae debere, exponere, quod Nazareth, quando Iesu patria in historia sacra vocatur, illud nomen tantum ab educatione et diuturniore commoratione Iesu in ea habeat; sicuti Capernaum aliquando eodem nomine venit, quia frequentissime hanc urbem adiit. Sed quidquid horum sit, nihil temere omisum est a TE, quod ad arcem rei pertinet. Superest igitur, ut docte elaboratam scripturam publice defendas. Neque dubito, quin masculis id sis praestiturus, sicuti examen philosophicum cum laude superasti. Ego vero TIBI magnopere gratulor curriculum academicum, feliciter confectum, bonam mentem, quam hucusque demonstraasti, specimen inaugurale, cum orbe erudito communicatum, et honores in Philosophia supremos, quos me Brabeuta mox obtinebis. Faveat Deus captis Tuis, ut, in dulcissimam patriam reuersus, de aliorum commodis praeclare mereare! Vale, iterumque vale, et me ama! Dabam in Fridericiana d. III. Augusti MDCGLXI.


✻) ✻ (✻

Fd 2287

X 2284284

Vd 18

nc





DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
DE
PRAEIVDICIO IVDAEORVM,

^{Q V O}
NEQVE EX GALILAEA IN VNIVERSVM,

^{N E Q V E}
EX NAZARETHA INPRIMIS, PROPHETAM PRODIRE POSSE,
ADSERERVNT,
AD IOH. I, 47. VII, 52.

^{Q V A M}
SVB SVMMI NVMINIS AVSPICIIS
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO
IOHANNE FRIDERICO STIEBRITZ,

PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICAE ET CAMERALIVM
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,
ALVMNORVM REGIORVM EPHORO,
ACADEMIAE SCIENTIARVM MOGVNTINAE SODALI,
ET FACVLTATIS PHILOSOPHICAE DECANO,
PRAECEPTORE ATQVE PATRONO
AETERNVM COLENDO
PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS

SOLEMNI RITV ACCEPTANDIS
DIE IVLII A. O. R. MDCCLXI
HORIS LOCOQVE CONSVETIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET
AVCTOR

CHRISTIANVS GOTTLIEB STEINBERG

VRATISLAVIA - SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS IOHANNIS FRIDERICI GRVNERTI